

76. — *R. ad 2^m Quæst.*, seu ad varios casus :

1^o LUCIANUS legitime potuit mutare sententiam in praxi circa valorem testamenti aliqua forma legali carentis, pro variis circumstantiis, quia semper opinionem vere probabilem secutus est. Etenim sibi servando hæreditatem, non obstante defectu formæ, ante sententiam judicis, licite egit, cum juxta opinionem vere probabilem egerit; sed non ideo cessavit judicare oppositam ut solide probabilem, nec renuntiavit juri quod cuilibet civi competit, prosequendi irritationem alterius testamenti, si hæc irritatio ipsi faveat : ergo irritationem legati juridice postulando jure suo usus est LUCIANUS; ergo minime inquietandus.

77. — 2^o BATAVIUS, juxta *Caramuelem*, licite potuit communicare, innixus in probabilitate jejunii non violati; singula enim horologia, quæ habentur ut bene regulata, virtutem opinionum probabilium habent. Sed minime hoc admittendum est; agendi enim ratio BATAVII contradictionem involvit. In casu præcedenti LUCIANUS, utendo priori probabilitate, non censebatur renuntiare juri recurrenti ad probabilitatem oppositam in alio casu opportuno. BATAVIUS autem manducando carnes, quia probabiliter est dies Dominica inchoata, eo ipso jam facultati renuntiat hac die communicandi. Proinde, in hoc probabilitatum conflictu, prior in praxim deducta posteriorem practice destruit. Non possunt enim probabilitates illæ seorsim spectari sicut spectarentur, si alia die probabiliter non jejunus communicaret. Una enim ex duabus legibus necessario et ex eodem agendi tempore violatur. Ergo damnandus BATAVIUS.

78. — 3^o Damnandus etiam est SIGISMUNDUS, utpote sibi metipsi contradicens. Validitas enim et invaliditas ejusdem testamenti simul consistere nequeunt; sed SIGISMUNDUS retinendo hæreditatem affirmat testamentum esse validum et recusando solvere legata affirmat esse invalidum. Ergo sibi contradicit. Ergo damnandus est. Deinde juxta regulam Juris 55. in 6 : *Qui sentit commodum, et onus sentire debet. Voit, n. 104. — Lacroix, l. 1, n. 373. — Elbel, n. 190.*

CASUS

DE LEGIBUS

Quid de legum subjecto, promulgatione, conditore, obligatione, dispensatione? — Quid de lege irritante et pœnali? — Quid de consuetudine et privilegiis?

CASUS I.

DE SUBJECTO LEGIS 1^o.

MELANIA, miserima materfamilias, maritum sortita est ebriosum, et fere quotidie vino captum; filium decennem natu majorem, omnino amentem; alium septennem, freneticum; et tertium quinquennem, nondum usum rationis habentem. Toti huic familiæ, diebus veneris, carnes a die jovis residuas manducandas præbet, quia sive pater, sive filii a præcepto Ecclesiæ videntur eximendi.

Tantis cumulata ærumnis MELANIA, utpote animi impatientissimi, virum ebrium necnon filium amentem in execrationes et blasphemias, tum exemplo, tum procacibus verbis, tum etiam fustibus frequenter provocat et impellit; nec scrupulo quidem minimo cohibetur, ex eo quod maritus et filius, usu carentes rationis, peccare nequeant.

HINC :

QUER. 1^o *Quinam legibus subjiciantur? An infantes, ebrii, amentes, etc.?*

2^o *An pueri teneantur ad leges Ecclesiæ statim ac usum rationis adepti sunt, licet septennium nondum attigerint?*

3^o *Quid in singulis casibus statuendum?*

SOLUTIO :

79. — *R. ad 1^m Quæst.* Legibus humanis subjiciuntur omnes et soli subditi rationis habitualiter compotes. Legi autem naturali quilibet nascitur et remanet subjectus. Nemo tamen actualiter peccat, nisi usu rationis gaudeat. Hinc infantes, qui usum rationis nondum adepti sunt, et amentes, sunt subjecti legi naturali in actu primo, non autem positivæ; ebrii autem quilibet legi subjecti remanent. *V. Comp. n. 91-92.*

R. ad 2^m Quæst. Controvertitur. Duplex datur sententia probabilis, scilicet, affirmans et negans; prior tamen probabilior videtur cum *S. Lig. — V. Comp. n. 93.*

80. — *R. ad 3^m Quæst.*, seu ad varios casus :

1^o MELANIA carnes dare potuit die prohibito filio suo quinquenni, et filio amenti, non vero marito ebrio, neque filio septenni frenetico. Sequitur ex dictis.

2° Peccavit graviter MELANIA provocando maritum ebrium et filium amentem in blasphemias, quia, licet usu rationis careant, legi naturali subjiciuntur in actu primo, ut dictum est. Non videtur autem peccati saltem mortalis arguenda ex eo quod causa fuerit imprecationum in homines, quia hujusmodi verba, ab ebrio vel ab amente prolata, nullam contumeliam irrogant hominibus, in quos proferuntur. Sic enim ex communi existimatione apprehenditur. *V. Comp. n. 183, Quær. 5°.*

3° MELANIA graviter peccavit quoties ipsa in blasphemias et execrationes erupit, nisi aliquando ex inadvertentia, seu ex motu primo-primo egerit.

CASUS II.

DE SUBJECTO LEGIS 2°.

EXUPERIUS, die festo Patroni loci sui iter suscepturus, auditionem Sacri præcepti, ante discessum prætermittit, quia certo perventurus est ad alium locum ante horam decimam, qua Missa ultima in propria parœcia celebranda est, nec, postquam illuc advenisset, curavit ut Sacro interesset, licet facile posset.

2° Alia die, summo mane, perveniens in urbem in qua tota die illa recreationis causa permansurus erat, audivit ibi speciale festum de præcepto celebrari; ipse tamen de Missa audienda minime curavit.

3° Item, cum valetudinis curandæ gratia in aliena patria hiemaret, neque festa, neque jejunia particularia hujus loci servavit, utpote alienigena, nec proinde legibus istis subditus.

HINC :

QUÆR. 1° An EXUPERIUS in primo casu debuerit Missam audire ante discessum, vel post adventum in locum peregrinationis?

2° An in secundo casu teneatur ad Missam in loco extraneo audiendam?

3° An peccaverit graviter Missam et jejunia omittendo in tertio casu?

SOLUTIO :

81. — *R. ad 1^m Quæs. Neg.* 1° EXUPERIUS non tenetur audire Missam ante discessum, quia, si nulla tunc celebratur, non tenetur expectare tempus celebrationis; si vero plura Sacra fiant, non tenetur ad aliud nisi ad ultimum; sed in hypothesi jam extra fines territorii versabitur, quando Sacrum illud licet; ergo ejus obligatione minime ligari poterit. 2° Neque tenetur Sacro interesse in regione ad quam pervenit, quia non amplius ligatur lege particulari loci sui, ut jam dictum est. *S. Lig. n. 157. — V. Comp. n. 94-95.*

82. — *R. ad 2^m Quæs. Neg.* etiam; nulla enim obligatione teneri potest EXUPERIUS Missam audiendi in territorio extraneo, ubi lex particularis tantum existit; siquidem leges solos subditos afficiunt, saltem seclusa scandali ratione. *S. Lig. n. 156.*

R. ad 3^m Quæs. Peccavit graviter si, diuturna habitatione in loco extraneo, ibidem quasi domicilium acquisiverit, quia fit vere loci subditus et regionis incola. Secus, si hujusmodi domicilium non obtinuerit, secluso semper scandalo. Quandonam autem haberi censeatur quasi domicilium? Juxta sententiam communiorem acquiritur habitatione, vel intentione habitandi alicubi per majorem anni partem, vel saltem per sex menses. *S. Lig. n. 156.*

CASUS III.

DE SUBJECTO LEGIS 3°.

1° GABINUS, mercator, abit summo mane a loco domicilii, in quo festum Patroni speciale et obligatorium celebratur, et mox pervenit ad alium locum in quo festum prorsus simile peragitur. Rogatus ab amico ad Missam audiendam, se excusat dicendo: « *Ego ad parochiam non pertineo.* »

2° PANCRATIUS, Hispanus, in Gallia versatur pridie festi S. Petri in mediam hebdomadam incidentis; ibi abstinere a jejuniis præcepto, quia alii non jejunant, cum obligatio ista ad sabbatum sequens remittatur, propter festum in diem Dominicam translatum. Sed in patriam redux die sabbati, neque jejunat, quia solus jejunaret, siquidem concives in media hebdomada obligationi satisfecerunt, et insuper jam cessavit jejunii obligatio.

3° DAMASUS, Gallus, versans in Italia in vigilia S. Petri etiam in mediam hebdomadam incidente, cum aliis legem communem jejunii rite servat. Sed ecce in patriam redux ante sabbatum, a Parocho ad iterum jejunandum adstringitur sub absolutionis denegatione.

HINC :

QUÆR. 1° An GABINUS obligatus fuerit ad Missam in alio loco audiendam?

2° An PANCRATIUS a lege jejunii eximatur, vel quandonam jejunare debuerit?

3° An DAMASUS jejunare debuerit in Italia, vel in patria, seu in utroque loco, vel in quali?

SOLUTIO :

83. *R. ad 1^m Quæs. Neg.* Ratio est, quia GABINUS neque tenetur lege patriæ suæ, utpote absens, neque lege loci, utpote peregrinus. Ita *Reuter, n. 179. — Lacroix, n. 686, contra S. Lig. l. 1, n. 156. — V. Comp. n. 95, 6°.*

R. ad 2^m Quæs. PANCRATIUS excusandus est ab utroque jejuniis, quia non erat obligatus ad jejunandum solus, neque in uno loco, neque in altero. Tunc legislator censetur habere tales casus raros tanquam per accidens a lege eximentes, modo fraus non intervenerit. Idem dicendum de Gallo qui loco extra patriam sabbato sequenti versaretur.

84. — *R. ad 3^m Quæs.* 1° DAMASUS debuit jejunare in Italia cum aliis jejunantibus: urgebatur enim lege communi Ecclesiæ; nec potuit uti pri-

vilegio in Gallia generatim vigenti, quo jejunium ad sabbatum sequens transfertur. 2° Non fuit obligatus ad jejunium in patria iterandum; quia nemo tenetur iterum eidem obligationi satisfacere, cum semel in loco ubi tempus obligationis legis jam urgebat, satisfecit.

85. — *Obj.* Si parochus ex errore jejunium quatuor Temporum pro determinata hebdomada indixerit, dum jejunium illud hebdomada sequenti tantum occurrit, iterum erit jejunandum. Ergo a pari, etc.

R. Nego suppositum, scilicet jam obligationi satisfactum fuisse. Parochiani enim jejunando minime obligationem legis ecclesiasticæ adimpleverunt, siquidem Ecclesia nullum jejunium tunc præscribebat.

CASUS IV.

DE SUBJECTO LEGIS 4°.

1° GIBONIUS, mane abiturus a suo territorio in quo urget jejunii obligatio, atque ad locum a jejunii præcepto exemptum ante meridiem perventurus, solido jentaculo stomachum confortat, utpote ad legem minime adstrictus: « Major enim pars, ait, trahit ad se minorem. »

2° MERCORUS, cum versaretur in loco legi jejunii non subjecto, ibi laute jentat atque prandet. Redux autem ad domicilium proprium, ubi jejunium est, integra cœna et carnibus reficitur coram aliis esurientibus, hoc innixus principio: « Jejunium, utpote quid indivisibile, non amplius ei esse possibile. »

3° SALUSTUS, parum mortificationis amans, cum habitet non procul a regione in qua die sabbati carnibus vesci solent, v. g. in Hispaniæ confinibus, recurrente sabbatica die, territorii sui limites transit, non solum ad negotia tractanda, sed etiam interdum ut carnes comedere queat.

HINC :

QUÆR. 1° *An GIBONIUS potuerit jentare ante discessum in primo casu?*

2° *An MERCORUS potuerit cœnare in secundo casu?*

3° *An SALUSTUS graviter peccaverit contra legem abstinentiæ a carnibus in tertio casu?*

SOLUTIO :

86. — *R. ad 1^m Quæ.* *Controvertitur.* Duplex est sententia probabilis: alii negant, quia GIBONIUS dum esset in patria, legi jejunii subjectus erat, haud secus ac cæteri concives.

Alii vero affirmant, quia jejunium est quid individuum; ergo, cum GIBONIUS jus habeat ad plures refectiones hac die faciendas, eo ipso a lege jejunii solvitur. Peccasset quidem, si ante discessum carnes comedisset, quia lex abstinentiæ est divisibilis, et urget singulis momentis, non autem peccavit, seu non peccavit rigore loquendo contra legem jejunii, jentaculum sumendo. Ita *Busemb.* — *Lessius.* — *Sanchez*, etc., et probabile

putant *Suarez* et *Salmant.*, ut refert, quin sententiam suam promat *S. Lig. n. 157.*

87. — *R. ad 2^m Quæ.* Pariter controvertitur. Alii enim *negant probabiliter*, quia jejunium fractum est tantum materialiter, non vero formaliter. Ergo MERCORUS aliis se conformare debet, cum in legis territorio existat, adeoque legi se subicere tenetur.

Alii autem affirmant non minus probabiliter. Ratio est, quia jam est destructa jejunii essentia, per plures refectiones factas. Quare jejunium jam factum est impossibile. Ita *Elbel.* — *Sporer*, — *Layman*, etc., et etiam *S. Lig.* in simili casu, *l. 4, n. 1030.* Ibi enim postulat *S. Auctor*, utrum ille qui die jejunii ex inadvertentia duplicem sumpsit refectionem, teneatur a tertia abstinere? et dicit utramque sententiam esse probabilem, licet probabilior appellat sententiam affirmativam, seu ad jejunium obligantem, in *Hom. apost. tract. 12, n. 20.* Hæc autem sententia affirmativa saltem enixe in praxi suadenda est.

88. — *R. ad 3^m Quæ.* Minime sane laudandus est SALUSTUS in hoc tertio casu. Attamen de gravi peccato arguendus non est, quia reapse legem non præterivit. Peccaret tamen saltem leviter ratione intemperantiæ, si id frequenter et de industria perageret. In praxi nego suppositum. Bonus Christianus hanc agendi rationem non servabit frequenter et de industria. Christianus vero incuriosus facile carnibus in proprio loco vescetur quin ad alium locum se conferat, ut licite id facere valeat.

CASUS V.

DE LEGIS PROMULGATIONE.

ANDRONICUS, nescio qua via, sed secluso injusto et illicito modo, novit edicto Principis mox promulgando minuendum esse certorum nummorum valorem; contra, alterius cujusdam monetæ argenti adaugendum esse pretium. Quid tunc ANDRONICUS? Modum excogitat optima hac occasione in suum commodum utendi, antequam præfata constitutio promulgetur. Accipe casum: cum nummis primæ speciei, quos bene multos in arca amanter servabat, omnia sua debita solvere festinat. Cum autem multos residuos adhuc haberet, ocius ad judæum valde divitem pergit, et mutationem prioris monetæ cum posteriori ab eo facile obtinet. Facta autem promulgatione edicti Principis, anxietate pressus ANDRONICUS venit ad Confessarium et industriam suam patefacit, fatendo imprimis se aliquem judæum insigniter decepisse. Et postulat an, vel quomodo peccaverit et utrum ad restitutionem obligetur?

HINC :

QUÆR. 1° *An promulgatio legis necessaria sit ad ejus obligationem?*

2° *Quid Confessarius interroganti respondebit?*

3° *Quid vero si hoc fecisset post legis promulgationem, sed adhuc ignoratam?*

SOLUTIO :

89. — *R. ad 1^m Quæ. Affirm.* Ratio est, quia non sufficit privata Principis locutio, seu expressio, ut lex jam lata censeatur, donec voluntas et jussio ejusdem solemniter edita et subditis proposita sit, sicut ipsa legis natura postulat. Etenim lex est regula operationis, ad quam tota communitas se debet conformare : atqui lex non potest habere rationem regulæ communis, nisi publice sit edita, ita ut a tota communitate servari possit; ergo necessaria est promulgatio.

Præterea lex est signum voluntatis Principis, qua vult totam communitatem monere et obligare; ergo requiritur ut tale signum sit publicum. Ergo promulgatio est ita necessaria et intrinseca legi humanæ, ut Princeps non possit legem condere sine aliqua publicatione, de se sufficiente ad legem subditis manifestandam. Ita *Suarez, l. 3, de leg. c. 16*, ubi dicit esse sententiam communem. — *S. Lig. n. 96.*

90. — *R. ad 2^m Quæ.* ANDRONICUS non peccavit, saltem *per se*, nec proinde ad restitutionem tenetur. Etenim contra legem non egit, siquidem non adhuc promulgata fuerat. Neque contra justitiam egit, sed jure suo industrie usus est. Tempore utriusque commutationis, tum nummi, tum monetæ argentæ suum positivum valorem coram tota communitate servabant. Ergo nemini injuriam irrogavit. Si judæus insigniter fuit deceptus, hoc per accidens habendum est. Id æquo animo ferat in aliquam compensationem deceptionum, quibus ipse toties aliis injuste illusit.

Dixi : non peccavit *per se*, id est, ratione rei; nam bene potuit peccare graviter ratione conscientiæ erroneæ. Attamen ex hoc obligatio restituendi minime sequeretur, quia injustitia realis deesset. *Elbel, n. 257, et alii contra plures.*

91. — *R. ad 3^m Quæ.* In hac hypothese, reapse peccati gravis et injustitiæ reus evaderet, quia antiquus valor monetarum jam fuisset mutatus. Hinc teneretur vel contractum rescindere, vel excessum pretii refundere.

CASUS VI.

DE PROMULGATIONE LEGIS CANONICÆ.

EPIPODIUS et TIPHONIUS, Sacerdotes, in discursu theologico inter se conferentes, acriter de promulgatione legis pontificiæ disputant. *Prior* contendit satis esse si ejus promulgatio fiat Romæ, seu in urbe principe totius orbis terrarum, ut vim omnes fideles obligandi habeat. *Posterior* vero mordicus negat id sufficere ut lex canonica obligare possit, quia, inquit, leges civiles promulgari debent in singulis provinciis, ad notitiam earum omnibus manifestandam : ergo pariter leges pontificiæ promulgari debent in singulis diocesisibus, ut majori parti fidelium innotescant; imo, subjicit ille, a fortiori hæc promulgatio in variis locis necessaria est pro legibus ecclesiasticis, cum Roma distet magis ab extremis partibus orbis, quam

urbs princeps alicujus ditionis ab illius finibus. Quinam autem e duobus jungendæ manus?

HINC :

QUÆR. *An reapse sufficiat promulgatio legis pontificiæ Romæ facta, ut vim obligandi sortiatur?*

SOLUTIO :

92. — *R. ad Quæ. Affirmative* cum sententia quæ dicitur a *S. Lig. valde communis, n. 95*, contra nonnullos.

Prima ratio est, quia ex natura rei illa promulgatio sufficit, nisi Ecclesia aliud statuerit : porro Ecclesia nihil aliud statuit; ergo sufficit.

Adversarii sententiam suam firmare contendunt ex ipso Jure canonico, quod jus civile in hoc saltem implicite admittit. Etenim, aiunt, Jus canonicum in hujusmodi rebus ex regula generali juri civili se conformat, et illud velut tacite acceptat, quando aliquid contrarium vel diversum non disponit, et insuper in re ipsa nihil est repugnans moribus aut Religioni. Atqui jus civile in nostro casu requirit ut promulgatio legis fiat in singulis provinciis, nec est revocatum Jure canonico, neque est contra bonos mores; ergo promulgatio legis canonicæ fieri debet, non tantum Romæ, sed etiam in variis regionibus orbis terrarum.

Sed respondetur, regulam hanc generalem ab adversariis invocant, minime applicandam esse in præsentis casu, quia Canones tantum in judiciis causarum voluerunt ut leges civiles servarentur, ubi canonicæ deessent. *Suarez, de leg. l. 4, c. 15.*

93. — *Secunda ratio est*, quia sunt multa decreta in Jure canonico, quæ nunquam fuerunt promulgata in variis provinciis, sed tantum Romæ. Sunt etiam multa rescripta Pontificum, vel Bullæ, quæ censentur obligare per solam publicationem Romæ factam. Sit in exemplum Bulla *Cænæ*, quæ universaliter obligat, licet in singulis episcopatibus publicata non fuerit.

Tertia ratio est, quia quando Pontifices volunt fieri promulgationem suarum legum in singulis diocesisibus, seu provinciis, hoc specialiter declarant; raro autem id faciunt, et tantum in rebus majoris momenti : ergo inde probatur illas speciales promulgationes non requiri extra hos casus in legibus absolute latis, et Romæ promulgatis.

94. — *Quarta ratio*, maxime congruens, est, quia tota Ecclesia est sub uno pastore, et proprie unicum corpus mysticum, una respublica, et pro toto hoc corpore satis est una promulgatio facta in metropoli hujus reipublicæ. Hoc enim confert ad majorem Ecclesiæ unitatem, majoremque obedientiam Pontifici debitam. Secus enim leges pontificiæ ab Episcopis pendere viderentur. Insuper, ubi necessarium est, in specialibus casibus, ab ipsismet Pontificibus aliud statui potest, sicut interdum factum est. *Suarez, de leg. l. 4, c. 15.*

Quinta ratio deducitur ex clausula, quæ solet apponi Bullis quæ Romæ promulgantur, et in locis consuetis affiguntur, et quæ sic jacet : *Ut præsentibus Litteræ ad notitiam omnium facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus eas affigi ad valvas, etc.* (hic

nominantur præcipuæ Basilicæ romanæ), sicque publicatas, omnes et singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare et officere..... S. Lig. n. 95.

CASUS VII.

DE POTESTATE SUPERIORIS 1°.

LIBORIUS, Sacerdos, commissa aliqua gravi culpa, ab Episcopo damnatus fuit, ut decem aureos in certam piam causam impenderet, et per octo dies in quodam Monasterio exercitiis spiritualibus vacaret. Primam pœnitentiæ partem omnino prætermisit.

Quod ad secundam partem attinet, visus est quidem exterius injuncto præcepto obtemperare, ne majorem Superioris offensam incurreret; sed meditationi nullatenus vacavit, atque otiosam vitam, in lectionibus scilicet profanis tempus terendo, perduxit; nec putat se de peccato inobedientiæ arguendum esse, hoc innixus principio, quod oratio mentalis seu meditatio sit actus mere internus, et consequenter ne quidem ab Auctoritate præcipi possit.

HINC :

QUÆR. 1° An Ecclesia possit præcipere actus internos?

2° An, vel quomodo peccaverit LIBORIUS?

SOLUTIO :

95. — R. ad 1^m Quæst. 1° Ecclesia sane pollet auctoritate præcipiendi actus mixtos, seu partim internos partim externos, quia hujusmodi actus constituunt quid unum morale, indivisum. 2° Quoad actus mere internos, controvertitur. Alii affirmant probabilius, quia Ecclesia potestatem illimitatam a Christo Domino accepit, per illa verba: *Quodcumque ligaveris.... quodcumque solveris....* Alii dicunt illud esse quidem verum in sensu composito fori externi et interni, sed non in sensu *diviso* solius fori externi de quo solo hic agitur, seu de potestate legislativa, quæ solam gubernationem respicit. *Vid. Comp. n. 89. — S. Lig. n. 100.*

96. — R. ad 2^m Quæst. 1° LIBORIUS graviter peccavit pœnitentiam pecuniariam non adimplendo; res enim est *per se* gravis, et sub gravi præcipitur, nisi aliunde constet Episcopum noluisse præceptum sub gravi urgere. Neque hoc supponitur facultates LIBORII excedere. Nec obstat quod hæc eleemosyna injuncta constituat tantum partem pœnitentiæ, quia pœnitentia est divisibilis, et pars illa materiam gravem constituit. 2° Peccavit etiam graviter spiritualia exercitia omittendo, quia juste fuit damnatus ad ea obeunda, et partem etiam gravem pœnitentiæ constituunt. Nec dicas Episcopum probabiliter non posse præcipere actus internos; nam actus illi præcepti non videntur mere interni, quia jubetur LIBORIUS facere accuratam præparationem, quæ sine lectione piorum librorum fieri non solet, etc. — Præterea, etiamsi hæc exercitia mere interna forent, saltem probabile esset ea ab Episcopo præcipi posse. Porro subditus semper Superiori obedire debet, nisi is evidenter auctoritate sua abutatur, præcipiendo quæ minime præcipere potest. *Elbel, n. 339. — Lacroix, n. 683. — V. Comp. n. 90; et t. 2, n. 170.*

CASUS VIII.

DE POTESTATE SUPERIORIS 2°.

CUNEGUNDA, conventus Monialium Superiorissa, ad magnam calamitatem quæ imminere avertendam, plura jejunia et varias orationes mentales in communitate fieri mandavit. Transacto autem periculo, statuit ut, recurrente die anniversaria, Religiosæ perpetuum servarent jejunium, et meditationem, in gratiarum actionem, per semihoram peragerent.

HINC :

QUÆR. 1° An Moniales obligatæ fuerint ad præcepta Superiorissæ adimplenda?

2° Si obligationi subjaceant, an in perpetuum?

SOLUTIO :

97. — R. ad 1^m Quæst. Moniales saltem professæ obligatæ fuerunt, et quidem *per se sub gravi*, ad mandata Superiorissæ servanda. Ratio est, quia Superiorissæ Monialium, licet jurisdictionis ecclesiasticæ, seu a sacris Canonibus dependentis, capaces non sint, possunt tamen in conscientia obedientiam exigere circa res præceptas, quæ ad profectum subditorum juxta Institutum et Regulas conducunt. Jus enim præcipiendi sortiuntur, tum ex voto obedientiæ a Monialibus emisso, tum ex necessitate disciplinæ, quæ in domo religiosa vigere debet.

Dixi: 1° *sub gravi per se*, quia materia præcepti gravis est. Colligendum autem est ex circumstantiis utrum Superiorissa verum et proprie dictum præceptum sub gravi obligans ferre intenderit. — Dixi: 2° *Moniales professæ*, quia Novitiæ non stricte ad obediendum tenentur, cum votum obedientiæ non emisissent. Attamen aliquo modo ratione recti ordinis obedire debent, saltem sub pœna a Superiorissa imponenda.

98. — R. ad 2^m Quæst. Moniales non tenentur in perpetuum ad hæc Superiorissæ mandata exsequenda. Ratio est, quia feminæ non gaudent potestate legislativa, sed præceptiva tantum; porro mera præcepta cum morte præipientis expirant, dum leges in perpetuum ferri possunt. *V. Comp. n. 86. — Elbel, n. 281 et seq.*

CASUS IX.

DE ADIMPLETIONE LEGIS SEU PRÆCEPTI 1°.

PANTALEO dubitat an obligationi legis in sequentibus casibus satisfecerit, scilicet :

1° Jejunium sibi injunctum servavit quidem, sed avaritiæ motivo ductus. Imo, ut incommodum minus sentiret, somno tota die indulsit, et vespere ad refectionem sumendam tantum surrexit.

2^o Missam de præcepto audivit quidem, sed ex vanitate et curiositate; imo graviter peccavit pravis desideriis adhærendo.

3^o Peracta confessione, a Confessario jussus fuerat ut pro sacramentali pœnitentia duo Sacra audiret et rosarium recitaret. Ipse autem, per modum compendii satisfactorius, illa duo Sacra audivit simul, dum duo Sacerdotes una celebrarent, eodemque tempore rosarium recitavit.

HINC :

QUÆR. 1^o An PANTALEO jejuniis satisfecerit?

2^o An præceptum Missæ audiendæ adimpleverit?

3^o An rite pœnitentiam peregerit?

SOLUTIO :

99. — R. ad 1^m Quæst. PANTALEO, licet minime laudandus ratione motivi et modi, legi tamen satisfecit, cum eam minime transgressus fuerit. S. Lig. n. 163, etc.

R. ad 2^m Quæst. Satisfecit etiam, dummodo vere Missam audire voluerit, et nullum alium actum cum auditione insociabilem posuerit, licet peccaverit venialiter, saltem *per se*, ratione vanitatis et curiositatis, et graviter ratione pravorum desideriorum; peccatum enim etiam mortale non impedivit quin opus præceptum poneretur. S. Lig. *ibid.*

100. — R. ad 3^m Quæst. 1^o Non satisfecit, duo Sacra simul audiendo, quia evidenter egit contra intentionem Confessarii, qui sane unicum potius quam duo simul imponere malisset. 2^o Satisfecit autem rosarium tempore Sacri præcepti recitando, quia illæ duæ obligationes simul adimpleri possunt. S. Lig. *Hom. ap. de Pœnit. n. 57. contra Busemb. — V. Comp. n. 107.*

CASUS X.

OBLIGATIONIS ADIMPLETIO 2^o.

1^o LAURENTIA, in festo solemnibus *B. Virginis*, summo mane audivit Sacrum ex devotione erga *B. Virginem*, nolens per hoc satisfacere præcepto, sed intendens aliud audire; postea vero, mutata sententia, illud prætermittit. — Alias, cum coronam *B. Virginis* ex voto die sabbati recitare deberet, recitavit quidem ex intentione devotioni tantum satisfaciendi, aliam subinde ad implendam obligationem recitatura, quam tamen neglexit.

2^o VERONICA, eodem die, ad rosarium tum ex voto, tum ex pœnitentia sacramentali, obligata, unicum recitat, utrique obligationi satisfaciendi gratia. Postea vero dubitans an ad aliud rosarium vel etiam ad duo adhuc teneretur, scilicet pro duplici intentione, nihil tamen aliud recitavit.

HINC :

QUÆR. 1^o An LAURENTIA obligationi suæ in utroque casu satisfecerit necne?

2^o An VERONICA satisfecerit, unicum rosarium recitando, aut aliud vel etiam duplex recitare debeat?

SOLUTIO :

101. — R. ad 1^m Quæst. 1^o LAURENTIA satisfecit obligationi Missæ in primo casu. Ratio est, quia intentio satisfaciendi præcepto minime requiritur; satis est enim, ut opus præscriptum ponatur. Ita communiter. S. Lig. n. 163. — V. Comp. n. 103.

2^o Non autem satisfecit suæ obligationi in posteriori casu; quia hæc obligatio orta est a propria voluntate, et proinde ab ejus voluntate pendet ei satisfacere, vel non. Ergo, cum LAURENTIA expresse intenderit non satisfacere quando coronam recitavit, reapse non satisfecit.

102. — R. ad 2^m Quæst. VERONICA debito suo non satisfecit, unicum rosarium pro duplici obligatione recitando, ut patet. Etenim cum obligationes illæ ex fonte et motivo diverso contractæ fuerint, sunt omnino distinctæ, et proinde unico opere adimpleri nequeunt. Ergo aliud rosarium VERONICÆ recitandum superest. Non duo tamen alia recitare debet, quia ad duo tantum, non ad tria, fuerat obligata. V. Comp. n. 105. — Voit, n. 202. — Elbel, n. 397.

CASUS XI.

CAUSÆ LEGIS ADIMPLETIONEM IMPEDIENTES.

SIDONIUS causas varias, legis adimpletionem impediens, sive remotas sive proximas apponit, scilicet :

1^o Frequenter Sacrum de præcepto audire omittit, itinere, sive in terra sive in mari, negotiorum vel etiam sola recreationis causa suscepto, impeditus. Iter autem in curru publico incipit, die quocumque hebdomadæ, etiam ultimo aut pene ultimo, quamvis aliquando diem lunæ expectare possit.

2^o Interdum, die quo jejunandum est, ad venandum pergat, ita ut jejunii servandi omnino incapax evadat.

3^o Alias, nocte sabbati se inebriavit, experientia sciens se incapacem Missæ die Dominica audiendæ futurum esse.

HINC :

QUÆR. 1^o An, vel quomodo causas impediens legis adimpletionem apponere liceat?

2^o An, vel quomodo in prædictis casibus peccaverit SIDONIUS?

SOLUTIO :

103. — R. ad 1^m Quæst. 1^o Licet apponere semper causas eximentes quascumque, cum eæ dominio legis subtrahunt per discessum extra territorium.

2^o Non licet unquam apponere causas directe impediens legis observationem, in legis territorio remanendo, quia hoc esset ipsam legis violationem intendere. S. Lig. n. 156.

3^o Licet vero, saltem probabilius, apponere causas indirecte et remote